DE NONNULLORUM MEDICAMINUM ALIENIGENORUM SURROGATIS INDIGENIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA,
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XXIII. M. MARTII A. MDCCCXXX.
H. L. Q. S.

PALAM DEFENSURUS EST
AUCTOR
ARON DAVID
NEOMARCHICUS.

OPPONENTIBUS:
J. JAKOBSON, MED. ET CHIR. DR.,
H. MÜNNICH, MED. ET CHIR. DR.,
L. BOAS, MED. ET CHIR. STUD.

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

Ne silvae quidem, horridiorque naturae facies medicinis carent, sacra illa parente rerum omnium nusquam non remedia disponente homini.

Plinius hist. nat. lib. XXIV.

Medico non solum ut sanitati aegroto restituendae quam maximam navet operam, sed etiam ut, remedia eligens, aegroti res familiares respiciat, ne, morbo sublato, acerba egestas, malum morbo haud ita minus, eum conficiat, tum humanitatis leges, tum artis salutaris summi magistri praecipiunt. Quod praeceptum maximi esse momenti, penitus mihi perspectum est, cum jam mihi, artis medicae quamvis tironi, saepissime oblata esset occasio observandi, multos homines, medico res familiares non intuito, a morbo quidem liberatos esse, sed in rerum inopiam incidtsse, qua, aut quia indicationibus secundariis satisfacere non poterant, aut quia de victu vehementer solliciti erant, novis morbis implicarentur. Quare hanc dissertatiunculam edere nunquam dubitabam, quae si doctis viris minus fuerit probata, certe non res, de quibus agitur, sed vires meae, illis rebus tractandis impares, culpam ferent.

Sunt quidem exotica remedia, quae haud majoris sint pretii illis, quae iis substituenda proponam. Quid autem faciendum erit, cum vel bellum, vel aliud quoddam obstaculum, ne illa remedia ex dissitis eorum sedibus nobis advehantur, prohibuerit? Nonne tum nos juvabit, ex nostris regionibus remedia petere posse, quae eundem, atque ista alienigena, effectum edunt?

Alia sunt medicamina, quae aliud medicamen simplex nullum aequiparare possit, sed compositio artificialis ad illorum effectum, etsi non prorsus eum imitatur, proxime certe accedit, ita ut illa medicamina nonnisi iis casibus adhibenda sint, quibus aut celerrimus effectus desideratur aut aegroti res fami-

liares parsimoniam non requirunt. Cum praeterea remedia specifica neganda censeam, quia variae constitutiones et idiosyncrasiae aliis hominibus alia remedia in eodem morbo salubria reddunt, eo alacrius contendere ausim, omnium remediorum extraneorum loco vernacula, si quidem justo modo, adhiberi posse, id quod hoc opusculo planum reddere mihi in animo est. Qua in re tum Surrogatorum partibus constituentibus, tum iis, quae de eorum effectu ab experientissimis medicis edocta sunt, eorum effectum extraneorum medicaminum effectui parem esse probare conabor.

Ut integrum sit opus, ad unum omnia alienigena, quae in usum medicum vocare consuevimus, recensere iisque indigena substituere necesse erat, sed arcti, tum voluminis, tum temporis, limites ea eligere me fere cogebant, quibus carere non posse vulgo judicamur. Quae desunt, ea forsan postea explebo, cum et uberiore experientia praeditus, et lectorum comprobatione, quae utinam mihi contingat, alacrior factus fuero.

Medicamenta extranea eo ordine sum persecuturus, quo in Pharmacopoea nostra enumerantur. Terrae indigenae nomen universae attribuo Europae, tum quia ex Europae regionibus, quamvis remotissimis, medicamenta facilius, quam ex ceteris terrarum partibus, arcessi possunt, tum interno quodam sensu ductus, qui me omnes Europae incolas unius civitatis membra existimare jubet.

ALOE.

Aloe soccotorina, succus inspissatus, ex Aloe perfoliata, s. soccotorina exsudatus, quae in insula Socotorah, Arabiae felici finitima, reperitur; *A. lucida* ab A. spicata. s. arborescente, in bonae spei promontorio crescente; minus usitata *A. hepatica*, ab A. elongata *Murray*, s. vulgari *Decandolle*, quae ex Barbado nobis advehitur; *A. caballina*, bestiis tantummodo porrigenda. In his substantiis principium quoddam efficax est, a chemicis Aloinium nominatum. Parvae Aloes doses tonicum, quem ajunt, habent effectum, qui inprimis in tubi intestinalis fibras musculares se exhibet. Majores doses intestini recti et systematis uterini actionem augent et praecipue majorem succorum, inprimis sanguinis, ad illas partes affluxum efficiunt, quare drasticis sic dictis remediis Aloe est adnumeranda et haemorrhoides, si nondum aderant, provocat, si cessaverant, fluentes reddit; eadem de causa emenagogi munere Aloe fungitur. Vermifugas etiam vires ei addicuntur, ita ut *Schaeffer*, ut ad ascarides removendas intestinis injiciatur suadeat, quem in finem etiam tinctura Aloes regioni umbilicali infricatur. Porro collyriis additur, contra ophthalmias adhibendis, quas organorum lacrymalium atonia comitatur; ulceribus etiam impuris, gangraenosis applicatur.

Surrogata Ad ventriculi et intestinorum corroborationem omnia nostrarum regionum amara, ad eorum evacuationem sulphur, salia antiphlogistica adhibere possumus eaque non anxii, cum cujusvis fere constitutionis et aetatis aegroti ea perferre valeant, dum ab Aloe nonnisi corpora laxa, tarda, in-

flata haud male afficiuntur, infantilis vero, pubertatis et decrepiditatis aetas, irritabilior constitutio gravissime, ne adhibeatur, vetant. Tempora ista, quod nobis gratulemur, praeterierunt, quibus fluxus haemorrhoidalis pro normali habebatur et optimo igitur jure nostrates medici arcana illa, quorum pars constituens primaria Aloe erat, e. g. Vinum aloeticum, Elixir proprietatis Clauderi, Pillulas communes Rufi, oblivioni dederunt. Ubi vero fluxus vel haemorrhoidalis vel menstrualis suppressus est eliciendus, quis Aloen desiderabit, qui sulphuris, cremoris tartari, Juniperi, Sabinae, Terebinthinae, Succini, Hirudinum applicationis et similium effectum salutarem non ignorat? Ipse *Junker* ex pillulis suis Aloen rejecit et aeque bonum eorum effectum, eumque certiorem observabat.

ASA FOETIDA.

Gummi Asae foetidae a Ferula Asa foetida, in Persia perenni, ex qua, incisionibus factis, effluit. In universum quidem systema nervorum, inprimis autem abdominalium, praeclarum habet valorem et perversam eorum actionem tollit, quare hypochondriasi et hysteriae maxime est salutare; praeterea intestinorum actionem auget, unde ad taeniam ejiciendam adhibetur; eximiam denique cariei fert opem.

Surrogata. Quis ignorat antispasmodica, antihysterica indigena? rad. Valerianae, folia Aurantiorum, flores Chamomillae, quae tantam sibi comparabant gloriam, quantam in taeniam removendam rad. Filicis, quae, inprimis cum aliis anthelminticis, e. g. sp. sulphurico-aethereo conjuncta, exoticum istud supervacaneum reddit; qui olei aetherei Asae foetidae inhabitantis odori penetranti vim anthelminticam adscribere velint, ii Chabertum secuti ol. terebinth. cum ol. animali adhibeant. Antihystericis indigenis adnumerandus est succus expressus herbae Senecionis vulgaris, a *Finazzi* Mediolanensi eximie laudatus [1]). Aqua Luciae, s. liquor am-

---

[1]) *Froriep's* Notizen. No. 144. S. 192.

monii succinati Galliae medicis contra hysteriam in usu est; quomodo paranda sit v. *Richter* Mat. med. V. 3. S. 361.

CAMPHORA.

Camphora ex omnibus partibus Lauri Camphorae, quae in Japonia habitat, sublimatione paratur; secundum *Colebroke* Dryobalanops Camphora in Sumatra, a *Correa* Pterygium teres vocata, eam praebet. Camphora cruda in Belgia praecipue iterata sublimatione depuratur et tum demum in usum vocari potest. Num calefacientem habeat effectum et incitantem an refrigerantem et demulcientem, diu disceptabatur. Sic *Fr. Hoffmann* eam ad temperantia, *Brown* ad incitantia refert. Camphora vero, minoribus dosibus assumta, nervorum et sanguinis systematis excitationem efficit; majores ejus doses debilitatis spuriae speciem provocant, nam eadem symptomata apparent, quae mechanica ratione cerebrum premi produnt. Ideo *Murray* erravit, qui camphoram docebat perversa ac opium ratione efficere et *Sundelin* [1]) mihi bene videtur dixisse, qui illum majorum camphorae dosium effectum ex sanguinis nimis expansi in cerebrum pressu explicare conatur. Camphora illis febribus nervosis et affectionibus spasticis utilissima est, quas neque conditio inflammatoria, neque primarum viarum sordes comitantur, quarum dijudicatio vero per diaphoresin efficienda est; nimiam deinde genitalium excitationem tollit, praesertim quae a cantharidum abusu profecta est, sicuti in universum cantharidum, opii, mercurii et complurium venenorum vegetabilium antidotum est, unde illis remediis additur, ne effectum aut nimis vehementem aut nimis praecocem edant. Praeterea inflammationibus externarum partium asthenicis sic dictis, ulceribus asthenicis, gangraenescentibus applicita, salutarem habet effectum.

Surrogata. Difficillime quidem aliud medica-

---

[1]) Handbuch der speciellen Heilmittellehre. Bd. 1, S. 379. (Erste Ausg.)

mentum camphoram plane resarcire potest, neque tamen hac ratione natura nostris regionibus non prospexit; omnes enim ex Labiatarum ordine plantae, apud nos frequentissimae, oleum continent, ex quo camphora parari potest. Quae nisi sufficiat, camphora artificialis paranda est eaque tali modo: gas chloricum in oleum terebinthinae agat eoque resorbeatur, unde illud oleum primum flavo, tum fusco colore induitur et viginti quatuor horis praeterlapsis, dummodo non commoveatur, coagulatum apparet. Quo inter chartam colatoriam presso et ita a liquore fusco liberato, substantia alba, splendida, semipellucida, camphorae instar odorans redit, quae tamen aliquantum continet acidi muriatici, quod vero ad camphoram constituendam necessarium videtur, nam illa substantia cum calce conjuncta et destillata, illud acidum quidem expellitur, sed una cum eo etiam odor camphorae. Qui huic camphorae artificiali fidem non habet, is adhibeat omnia remedia nostra, oleo aethereo ornata, quae enumerare haud meum censeo, ex quibus vero Camphorosmam Monspelianam ab oblivione vindicare liceat, qua immerito eam obrutam esse, *Richter* [1]) judicat. Singulas camphorae virtutes singula remedia praestant. Sic fuliginis ligni vires antisepticas, diaphoreticas, exanthemata retrogressa revocantes medici veteriores bene noverunt et ejus gr. XX — XXX p. d. cum extractis amaris in pillularum speciem glomerata porrigebant et pharmacopoea Saxonica ceteris pharmacopoeis eo videtur praestare, quod tinct. fuliginis retinebat. Nimiam genitalium exaltationem sedant: aquae frigidae fomentationes, regimen antiphlogisticum, oleum olivarum, quod peni pluries infricari *Hufeland* jubet [2]) quae omnia camphorae etiam praeferenda videntur, quippe quae saepe impotentiam efficiat et sterilitatem.

---

[1]) Ausführliche Arzneimittellehre. V. 3. S. 207.

[2]) *Bluff*, von der Heilkraft der Küchengewächse. S. 25.

CHINA.

Cortex Chinae fuscus s. officinalis a Cinchona Condaminea *Humboldtii*, in Alpibus Peruvianis crescente; *cort. Chinae regius* a Cinchona angustifolia Ruiz, s. lancifolia Mutis, in Americae meridionalis jugis Alpinis spontanea; *cort. Chinae ruber* a Cinchona angustifolia, s. lutescente *Ruiz*, s. oblongifolia Mutis, Americae australis arbore. Illorum corticum, quum omnium fere medicaminum quasi principatum obtineant, partes constituentes, quaenam sint et a quibus in lucem prolatae, quamvis breviter exponere, operae videtur pretium esse. *Fourcroy* in iis peculiarem substantiam extractivam resinosam invenit [1]), quam adesse *Vauquelin* testatur, qui idem acidum chinicum (acide quinique) ex iis eruit. *Reuſs* e cortice rubro duo principia protulit, quorum alterum substantiam chinicam rubram (rouge cinchonique), alterum substantiam amaram (amér cinchonique) nominavit. *Gomez* in cortice Peruviano principium quoddam detexit, cinchonium ab ipso et a *Pfaff* vocatum, sed chininium potius vocandum; *Pelletier* enim et *Caventon* in chinae corticibus duo principia alcaloidea adesse probarunt, quorum alterum, chininium, in cortice regio, alterum, cinchoninium in cortice fusco praecipue inhabitaret. Quibus virtutibus chemicis illa alcaloidea sint praedita, qua ratione e corticibus eruenda, quibus notis differant, latius expositum est in *Richard*, medizinische Botanik, p. 693 et sequ. et *Pfaff* l. c. ubi etiam ceteras singulorum chinae corticum partes constituentes enumeratas invenies, quae autem medicis haud tanti sunt momenti.

Chinae corticis efficacia salutaris duplex est; vim enim habet tonicam, roborantem, adstringentem, antisepticam, quocirca omnibus iis morbis opem fert, quibus atonia et debilitas subest, id quod extractivae illi substantiae deberi verisimile

---

[1]) *Pfaff* eam substantiam chinium vocat im System der Mat. med. II. S. 230.

est; deinde in febres intermittentes et in omnes morbos typicos egregiam et fere divinam edit vim, quae, si alia quaequam, specifica est nominanda, nisi cum multis artis nostrae magistris, specificas vires omnes negantibus, ex adstringendi et corroborandi corticis facultate febrifugam illam vim redire existimemus. Quod tamen chinae cortex omnibus morbis, certas periodos obtinentibus, inprimisque febribus intermittentibus adeo salutaris est, id in alcaloideis illis principiis videtur positum esse, cum *Vauquelin* cortices etiam, substantiae extractivae fere nihil continentes, febrifugis viribus praeditos inveniret; quamquam *Seguin* eos cortices efficacissimos esse contendit, qui in gallarum et corticis coriarii solutione praecipitatum sisterent. Qua ex causa *Reufs* substantiam amaram, ab ipso inventam, quam nihil nisi chininium vel cinchoninium fuisse verisimile est, principii febrifugi cognomine ornabat et novissimis temporibus, ut febris fugetur, chininium, neque nisi ne redeat, ipse cortex adhibetur; imo in externam corporis superficiem administrata, China febrem intermittentem fugat. Sic *Rosenstein* [1]) se ipsum a. f. tertiana Chinae fomentis in abdomen applicitis liberavit, *Weikard* [2]) simili ratione f. quartanam removit, qui tamen Chinam assumi etiam jusserat, *Baldinger* [3]) chinae pulvere externe adhibito f. intermittentes plures fugatas ostendit.

Surrogata. Ut chinae cortici, cum maximi sit pretii et saepissime, bello e. g. saeviente, ne advehi quidem nobis possit, alia remedia, e nostris regionibus promenda, substituerent, plurimi, tum pristini, tum recentioris aevi, medici multarum, quae apud nos habitant, plantarum vel radices vel cortices summo studio perscrutabantur et ex partibus constituentibus aut experimentis institutis aeque ac chinae corticem efficere probabant. Quamvis qui-

---

1) Kinderkrankheiten. S. 460.

2) Verm. med. Schriften. Bd. 1. S. 41.

3) Neues Magazin. B. 7. St. 6. S. 553.

dem confitendum sit, nullum adhuc apud nos inventum esse remedium, quod omnibus corticis Peruviani virtutibus dotatum esset, multa tamen apud nos occurrunt, quae singulas illius corticis vires plane aequare satis constat. Chinam duplici ratione efficere supra exposuimus, quare ejus surrogata propondituri, ea prima afferemus, quae tonicas ejus et adstringentes vires habent, deinde ea, quae paribus viribus in f. intermittentes et morbos typicos specificis praedita traduntur.

I. TONICA ET ADSTRINGENTIA.

Cort. Salicis a variis Salicis speciebus. Vix ullus est morbus, chinae cortice domitus, cui non noster etiam salicis cortex utilem se probasset, his praesertim cautelis observatis: Aprili et Majo ab arboribus, non in paludosis regionibus crescentibus, sumatur, in locis opacis siccescat neve diu ejus pulvis reservetur. *Günz*[1]) in S. vitellinae et S. albae corticibus maximam vim tonicam inesse docet; imo *Kerckhoff* S. albae corticis pulverem, cum sulphure et syr. opiato in electuarii formam redactum, in phthisin pituitosam adhibendum commendavit [2]). S. fragilis corticem *Loeffler*[3]) ad fibrarum muscularium tonum roborandum et ulcerum putridorum conditionem emendandam proposuit neque minus anno 1772. plurimos homines a f. putrida, tum temporis epidemica, se illo cortice liberasse asseverat. Cort. Hippocastani ab Aesculo Hippocastano, tempore vernali a mediis ramis delibretur, cum ipsius trunci cortex justo majorem, juniorum vero ramorum minorem habeat substantiae adstringentis copiam. In morborum atonicorum reconvalescentiae stadio, in intestinorum tubi et universali musculorum laxitate, in haemorrhagia et diarrhoea ato-

---

1) Comment. de cort. salicis cort. Peruviano substituendo. Upsulae 787.

2) *Froriep's* Notizen. 1. 48.

3) *Richter*, chirurg. Bibl. Bd. 7. S. 1789.

nica, chinae corticem plane aequiparat; egregiam autem externus ejus usus fert opem: balneis e. g. addatur, quibus universali musculorum atoniae, clysmatibus, quibus intestinorum laxitati, fomentis, quibus aut haemorrhagiis aut ulceribus impuris et gangraenescentibus subveniatur. Fructus etiam Hippocastani, quippe qui amarum, adstringentem, acrem edant saporem, *Hufeland*[1]) Chinae optime substituendos, in quibusdam etiam astheniae formis praeferendos esse contendit, in asthenicis e. g. haemorrhagiis, praecipue uteri et vasorum haemorrhoidalium, in pituitae vel seri profluviis, in diarrhoeis chronicis, in fluore albo, in haemorrhoidibus mucosis, in phthisi pituitosa. *Buchholz* antiseptica etiam vi Hippocastani corticem minime carere, experimentis probavit. Rad. Caryophyllata a Geo urbano. Odor, sapor, chemicorum explorationes, medicorum experimenta aeque ac chinam eam efficere jam dudum probare videbantur et *Buchhave*[2]) eam omnes chinae effeetus imitari testatur. Adstringens ejus principium amarum non plane quidem iis, quibus in cort. Peruviano, rationibus cum ceteris partibus constitutivis conjunctum est, ipsum vero ab illius corticis principio minime discrepat, unde non est, quod aliter, quam illud, efficiat; quin etiam rad. Caryophyllata, quoniam major olei aetherei copia in ea inest, sensibilitatis systemate debilitato, Chinae praeferenda videtur. Omnino praeclara ab ea praestantur in omnibus reproductionis vitiis, ab organorum asthenia profectis; summa etiam laude dignam eam judicat *Voigtel*[3]) in typhum, qui aut jam ab initio nervorum systema solito minus affecit et typum remittentem tenet aut, nervorum affectione jam remota, musculorum prodit debilitatem. Colligenda autem est Martio et Aprili,

---

[1]) Journ. der prakt. Heilk. Bd. 21. St. 3. S. 188.

[2]) Obs. circa rad. Gei urbani vires in f. intermittentibus aliisque morbis institutae. Hafniae 1781.

[3]) Vollständiges System der Arzneimittellehre. II. S. 517. ubi, ut cum spir. sulph. aeth., tinct. cort. aurant, aqua cinam, conjungatur suadet.

simulatque herba provenit; quae enim tempore auctumnali, fructificatione perfecta, inveniuntur radices, istae omnem amiserunt efficaciam; in locis opacis siccescat neve ultra annum servetur. Cort. Quercus a Q. robore et pedunculata, qui propter magnam principii adstringentis et acidi gallici copiam optimis Chinae surrogatis adnumerandus et, quod ait *Voigtel* [1]), nonnunquam illi anteferendus est. Digestionem quidem haud bene afficit, quare ne organismo ingeratur, plurimi medici experientissimi suadent, qui tamen in externam corporis superficiem semper eum administrant, ubi vi adstringente opus est. Ita balneis roborantibus adjicitur, prolapsibus et herniis, a laxitate exortis, applicatur; haemorrhagiis asthenicis, tumoribus serosis, membrorum laxitati, quae luxationis, ossium fracturae, vulnerum est sequela, gangraenae denique succurrit. Quae ut medicorum artis peritissimorum sententiis adjuvem, haec addere liceat. *Fordyce* [2]) ani prolapsum nonnisi fomentationibus et clysmatibus removere poterat, quae ex quercus cortice, illa aqua, qua fabri, ut ferrum candens refrigerarent, utebantur, cocto parabantur. *J. Fr. Osiander* [3]), ne uterus prolabatur, ut quercus corticis pulvis, linteo involutus, in vagina retineatur suadet. *Henning* [4]) quercus corticem in carie maligna, sicuti in omnibus ceteris ulceribus ichorosis, suppurationem salutarem efficere, ipsum se observasse nunciat. *Autenrieth* [5]) illud, quod ex concentrato quercus corticis decocto per saturni extractum praecipitatur, linteo inductum, contra decubitum commendat. *Lizars* [6]) decoctum cort. quercus inspissatum in hernias inveteratas, quarum cavitatum parietes nondum coaluerunt, saluberrimum edere effectum observabat, ita ut illa, qua

---

1) l. c. II. S. 403.

2) Fragm. chirurg. med. p. 9.

3) Diss. de fluxu menstruo atque uteri prolapsu. Gött. 1808.

4) Bemerkungen üb. den Werth einiger Arzneimittel. S. 54.

5) Tübinger Blätter. II. 3.

6) Edinb. med. chirurg. Journal. 1822. July. S. 401.

suadet, ratione adhibitum, herniam quandam, quae per duodecim annos omnibus remediis restiterat, novem post dies sanaverit; nec non hernias umbilicales infantum et congenitas eodem cortice sanari, ille scriptor docet. Folia etiam et glandes quercus, cum principio adstringente minime careant, eadem fere, quae cortex, praestant et prioribus inprimis temporibus in eundem usum adhibebantur.

Alia medicamina indigena, quae, cum principio adstringente sint dotata, Chinae loco et substituenda sunt et substituta: Rad. Bistortae (Polygonum Bistorta); herb. Centumnodiae (Polygonum aviculare); rad. Tormentillae (Tormentilla erecta); cort. Granatorum s. Malicorium et flores Granatorum s. Balaustia (Punica Granatum, in Europa meridionali frequens); herb, uvae ursi (Arbutus uva ursi), cujus quidem vis tonica, in organa uropoetica praecipue efficit; rad. Rubiae tinctorum, quae praecipue in venae portarum et partium genitalium astheniam utilis praedicatur, e. g. a *Marx* [1]) in icterum, ab *Home* et ab *Herz* [2]) in chlorosin, ex mensium defectu ortam; cort. ulmi intertor (Ulmus campestris L. vel effusa *Wild*) astheniis chronicis salutaris est, quae diarrhoeas, hydropes procrearunt; putamina nucum juglandis, quemadmodum chinae cortex, fomentis in ulcera impura, ichorosa administratis, vim salutarem donant [3]); herb. Veronicae; cort. Fraxini (Fraxinus excelsior); cort. Sorbi aucupariae; folia et rad. Plantaginis latifoliae (Pl. major) a *Senac* et *Perrin* [4]) in f. intermittentes etiam laudantur; herb. Nummulariae (Lysimachia nummularia); herb. Spriraeae tomentosae, quae, ut ait *Mead* [5]), digestione non gravata, adstringentes vires et tonicas edit; folia Alni [6]); folia vitis viniferae malva-

---

[1]) Vermischte Betrachtungen. Bd. 3. S. 54.

[2]) *Home*, klinische Versuche. S. 451. *Herz*, Briefe an Aerzte. Bd. 2. S. 156.

[3]) *Hunizowsky*, in den Abh. der Joseph-Akad. zu Wien. Bd. 1, S. 233 und in Samml. f. pr. Aerzte. Bd. 12, S. 229.

[4]) *Gerson* und *Julius* Magazin. Bd. 1, S. 302.

[5]) *Rust's* Magazin. Bd. 13. S. 450.

[6]) *Murray*, Apparatus medicaminum. I, p. 120.

ticae[1]; florés rosarum rubrarum et incarnatarum; alumen, inprimis haemorrhagias et profluvia colliquativa sistit et antisepticas habet vires haud mediocres. Quod male digeritur, id ejus usui obstare videtur, sed perperam, cum idonea forma porrectum, nullas fere molestias efficiat. Sic *Müller* solutionem aluminis vitriolatam proposuit, tali modo paratam: Rec. aluminis crudi ʒj, solve in aquae fervidae ℥xvj, refrigeretur, tum adde perpetuo quassando acid. sulph. q. s. ad gratum saporem acidulum; acida mineralia saluberrimum habent effectum in f. putridam, in haemorrhagiam asthenicam, sicuti in omnia profluvia colliquativa. Plura supersunt, quibus principium adstringens quidem non deest, quae tamen omittere non dubitavi, quod ea jam, quae attuli, satis mihi videntur probare, medicaminibus tonicis et adstringentibus nostras regiones abundare potius, quam destitutas esse.

II. Febrifuga.

A. Ea, quae propter constitutivas eorum partes ab iis praecipue Chinae loco substituebantur, qui, ut febris fugetur, nonnisi adstringentibus et tonicis Chinae viribus effici contendunt:

Cort. Salicis[2]; cort. Hippocastani, salicis cortice melior, quia minus adstringit, primum a *Zanichelli* contra f. intermittentem commendabatur[3]; deinde *Peiper* in Germania, *Turra* in Italia summis laudibus eum extollebant[4]) et recentioribus tempo-

---

[1]) *v. Graefe* und *v. Walther* Journal, Bd. 5, St. 3, S. 482; *Rust's* Magazin, Bd. 16, S. 179; *Richter*, mat. med. I, S. 482.

[2]) *Stone* in Phil. Transact. 1763, Vol. 53, p. 195; *Akenberg*, praes. *Rosenblad*, Diss. de usu cort. salicis in f. int. Lond. Goth. 1782; *Brera*, Annot. med. pratiche sulle diverse malattie trattato nella clinica medica di Pavia 1799; *Voigtel* l. c. Bd. 2, S. 427.

[3]) *Zanichelli*, Lettera intorno alle facolta del hippocastano. Venet. 1733.

[4]) *H. W. Peiper*, Diss. de cort. hippocastani, Duisb. 1763; *Turra*, Briefe über die fiebervertreibenden Kräfte der Rosskastanienbaumrinde, a. d. Ital. v. Buchholz, Weimar 1783.

ribus *Hufeland*[1]) ejus usum agnoscebat; *Voigtel*[2]) iis praecipue feb. int. eum succurrere docet, quae ex viscerum abdominalium atonia ortae neque cum aliis morbis complicatae sint; idem decoctum pulveri praefert. Qui cortex, cum a Peruviano cortice fere nihil discrepet, easdem, quas ille, cautelas requirit. Rad. Caryophyllata, quam pridem jam *Rajus*[3]) et post eum *Buchhave* (l. c.) in f. int. utilem praedicabant, quibus *Baldinger*[4]) et *Kreyssig*[5]) plane assentiebantur. In f. int. quartanas optimam traditur vim habere. *Frank*[6]) eam chinae corticem omni ratione aequare docet; sunt imo, qui hunc corticem ei posthabeant, quod digestionem pejus afficiat et saepe inutilis fuerit, ubi rad. caryophyllata opem tulerit et perfectam et celerem. Sic *Gesenius*[7]) f. int. quartanam se hac radice removisse narrat, quae per novem menses cortici Peruviano restitisset; *Weber*[8]) fere ducentis hominibus, f. quartana laborantibus, hac radice medebatur. Quodsi igitur pauci medici eam nihil profuisse queruntur, illa certe, quam supra descripsimus, ratione non collecta vel praeparata vel tum demum in usum vocata erat, cum jam tanta esset debilitas, ut incitantia fortissima essent praemittenda. Cort. quercus, quo *Cullen* et *Hahnemann* nec non *Röbel*[9]), ne paroxysmus rediret, prohibebant et *Pfündel*[10]) eo f. quotidianae pertinaci medebatur, quam cort. Peruvianus removere non poterat. Glandes quercus *Auenbrugger*[11]) in innumerabiles f. int. utiles

[1]) Journ. der pr. Heilk., Bd. 21, St. 3, S. 167.

[2]) l. c. S. 423.

[3]) Hist. plantarum generalis, Tom. I.

[4]) Neues Magazin für Aerzte, Bd. 4, St. 4.

[5]) *Horn's* Archiv, Bd. 4, St. 1, S. 555.

[6]) *Hufeland's* Journ. d. pr. Heilk., Bd. 24, St. 4, 152.

[7]) Handbuch der praktischen Arzneimittellehre, S. 314.

[8]) *Weber* resp. *Koch*, Diss. de nonnullorum febrifugorum virtute et speciatim Gei urbani radicis efficacia, Kilon 1784.

[9]) Samml. f. pr. Aerzte, Bd. 8, S. 673.

[10]) *Baldinger's* Neues Magazin, Bd. 9, S. 115.

[11]) *Marx*, Geschichte der Eicheln, Dessau 1784.

utiles reperiebat. Rad. Bistortae, quam cum extr. Gentianae conjunctam, *Cullen*[1]) chinae cortici parem judicat; rad. Tormentillae, quam idem *Cullen*[2]) cum extr. Gentianae conjunctam febrem fugare tradit, cujus autem gr. x aeque ac chinae corticis ʒj efficere *Lehnhardt*[3]) dicit; cort. Granatorum, a *Rehmann*[4]) pro optimo Chinae surrogato aestimabatur, cujus vero ℥jß in apyrexia sit consumenda; rad. Rubiae tinctorum, quam bene in f. int. efficere, *Hecker*[5]) ipsum se expertum esse dicit; cort. Ulmi interior, cui *Cottington*[6]) magnum in f. int. usum tribuit; cort. Fraxini, a compluribus medicis Chinae loco propositus[7]); cort. Betulae prioribus temporibus in f. int. adhibitum esse *Hecker* (l. c. 1, 290.) et *Richard* (l. c. S. 231.) tradunt; folia Ilicis aquifolii in f. int. saepissime utilia se praestabant[8]); cort. Alni interior[9]); rad. Caryophyllatae aquaticae s. Gei rivalis *Bergius*[10]) commendat; rad. Lilii albi, cujus ℥jj febrem fugare *Cortum* tradit, qui eam unguento cuidam immixtam regioni umbilicali infricabat; cort. Pruni spinosae, cui omnia cetera Chinae surrogata posthabenda esse *Juch*[11]) censet, inprimis cum

---

[1]) Mat. med., übers. v. *Hahnemann*, Bd. 2, S. 48.

[2]) l. c. S. 55.

[3]) Arzneien ohne Maske, Quedlinburg 1788.

[4]) Notice sur un reméde propre a remplacer le quinquina, suivie d'une analyse chimique de cette substance par *Reuss*.

[5]) Praktische Arzneimittellehre, Bd. 1, S. 148.

[6]) Samml. f. pr. Aerzte, Bd. 15, S. 575.

[7]) *Hellwig*, Diss. de fraxino, Quinquina Europaeorum, Gryphisw. 1712; Samml. f. pr. Aerzte, Bd. 4. 323 u. 493; *Schreger*, Diss. de cort. fraxini excelsioris natura et viribus medicis, Lips. 1791.

[8]) Durande in mém. de la soc. de med. de Paris, I, S. 342; *Reil*, memorab. clin. II, p. 134; *Rousseau*, nouv. journ. de méd. 1822, p. 80.

[9]) *Fabreyou*, Description des plantes, qui naissent ou se renouvellent autour de Paris. Paris 1740.

[10]) Kongl. Ketensk. Acad. Handling, Vol. 18, p. 121.

[11]) Med. chirurg. Zeitung, 1808. No. 77, S. 447.

a quinque annorum fruticibus collectus, cum substantia animali gelatinosa vel cum magnesia coctus esset; fructus immaturi Syringae vulgaris, quorum extractum odore et sapore non minus atque effectu Chinae extractum aequat, nam ejus gr. j biduo porrectum f. int. fugabat [1]); herb. Calcitrapae, cujus bonus in f. int. effectus amaro, quod ea continetur, principio adscribendus videtur [2]).

B. Ea, quibus aeque ac Chinae, specificam in f. int. vim medici, iique experientissimi, attribuebant:

Flores Arnicae, radici praeferendi, nisi nimiae alvi fluxiones vexant, quibus *Stoll* [3]) f. inveteratas se removisse tradit; dosis: gr. xv singulis horis. Semina phellandrii aquatici, quibus agricolas Brunsvicenses, ut a f. int. se liberent, uti *Gesenius* (l. c. S. 316.) tradit, quorum etiam usum in illas febres salutarem *Ernsting* [4]) et *Lange* [5]) experiebantur; dosis: ʒß binis horis. Colla animalis, quam salutarem in f. int. vim edere *Seguin* [6]) primus aperuit et postea *Gautier* [7]), *Gilibert* [8]), *Hallé* [9]), *Alibert* [10]), *Remer* [11]) comprobabant; quos viros omnes allegare mihi necesse videbatur, cum alii, plerum-

---

[1]) *Cruveiller,* Med. pratique, eclairée par l'anatomie, Paris 1821; Allg. med. Annalen, 1822, S. 970.

[2]) *Buchoz,* sur la Chaussetrape, reconnue comme specifique dans les fièvres intermittentes, Par. 1787.

[3]) Ratio medendi, I, p. 159.

[4]) Phellandrologia physico-medica, Brunsv. 1730.

[5]) Ueber die heilsame und wunderbare Wirkung des Wasserfenchels, Helmst. 1781.

[6]) Bulletin de sciences par la societé philomatique a Paris, Therm. ann. XI, No. 77, p. 130; Berliner Jahrbuch der Pharmacie, 1803.

[7]) *Hufeland's* Journ., Bd. 18, St. 2, S. 120.

[8]) Journ. générale de medicine, Tome 16, p. 3; Samml. f. pr. Aerzte, Bd. 21, St. 2, S. 61.

[9]) Journ. gén. de médicine, Tome 19, p. 336; Samml. für pr. Aerzte, Bd. 21, St. 4, S. 410.

[10]) Nouveaux élémens de thérapeutique et de matière médicale, Tom I, p. 205; Samml. f. pr. Aerzte, Bd. 21, St. 4, S. 459.

[11]) *Hufeland's* Journ., Bd. 25, St. 3, S. 89.

que ob fastidium, collae usum rejecerint. Infitiari quidem non possumus, collam difficile esse assimilandam neque adhibendam, ubi digestio non justo sit vigore; nonne autem idem de cort. Peruviano valet? nonne, priusquam ille cortex porrigatur, quaecunque sordes gastricae sunt removendae? Cort. aurantiorum ab *Heister*[1]) et *Werlhoff*[2]) laudantur. Vinum *Richter*[3]) in febrifugis collocat, ejus usum tamen arctis limitibus merito circumscribit, cum atonicas tantummodo senum febres, ad f. lentas accedentes, illo removeri tradat, acutas vero, in subcontinuas transire minantes, periculosiores reddi. Kali carbonicum, acido quodam saturatum, nam remedium *Crollii* antifebrile, quod summis laudibus extollebatur, Riverii potioni quam simillimum est: Rec. aquae cichor. ℥jjj, sal. absinth. ʒß, acid. sulph. gtt. xjj, bihorio ante paroxysmum assumatur. Ammonium muriaticum, quod veteriores jam medici: *Willisius*, *Barbette*, *Rolfincius*, *Mynsichtus* inter cetera qualiacunque febrifuga in f. int. usitata memorant. Omnium autem luculentissime *Muys*[4]) ejus utilitatem exposuit, qui etiam, qua dosi per varios aetatis gradus, quo tempore, qua methodo adhibendum sit, qualis victus ratio in ejus usu observanda, quomodo denique ejus in organismum effectus intelligendus, latissime explicat. Ex observationibus accuratis, saepe repetitis, fide notatis ac denique inter se comparatis, haec se deduxisse ille scriptor asseverat: „adeo constantem esse hujus salis effectum, ut in octo casibus, quibus ad Tertianas et Quartanas intermittentes sanandas justa ratione adhibitum sit, vix semel optato successu destitueretur; in his f. int., sale ammoniaco curatis toties saltem unam illius dosin suffecisse, quoties eam iterare necesse fuerit; in Tertianis et Quotidianis eam fuisse salis ammoniaci in morbo le-

---

[1]) Medicinisches Handbuch, Nürnberg 1767.

[2]) Opera, p. 750 — 760.

[3]) Specielle Therapie, Bd. 2, S. 696.

[4]) Diss. de salis ammoniaci praeclaro ad febres intermittentes usu in *Schlegel's* thes. mat. med. et art. pharm. T. I, N. IV.

vando ac tollendo celeritatem atque eam in operando constantiam, ut ex triginta quinque febribus fuerint mox prima a sale sumpto accessione quatuordecim magnopere levatae, quindecim non mutatae et sex tantummodo aggravatae; salis ammoniaci usu febres recidivas omnino rarissimas accidere; ejus usum sanitati neutiquam nocivum, neque ullum inde mali futuri metum esse." In Quartanis quidem intermittentibus curandis exiguam virtutem sali ammoniaco attribuit, sed aliter judicasset, nisi, cum fratris prudentiae et circumspectioni nimiam fidem haberet, omni successus spe abjecta, illius medicamenti in talibus febribus experiundi consilium repudiasset, nam *Richter* (l. c. S. 697.) in Quartanas potissimum illud remedium praedicari tradit, sed ut majores ejus doses adhibeantur monet, ita ut ʒjjj in apyrexia consumantur. **Rad. Valerianae** aut pulveris ʒß p. d. singulis bihoriis aut infusum ex ℥j paratum; an V. celtica V. officinali melius efficiat, dubitandum est, cum in omnibus ceteris casibus minus efficax sit reperta. **Opium**, quod *Reimarus* [1]) quinque rationibus in f. int. prodesse posse putat: „adhiberi scilicet, ait, potest: 1) ut stimulans atque cardiacum extra paroxysmum; 2) ut stimulans incipiente frigore febrili; 3) ut sedativum brevi post inchoatum calorem; 4) ut diaphoreticum ante paroxysmum; 5) ubi diarrhoea ceterorum febrifugorum vim impedit." Illius *Reimari* sententia non suis tantummodo, sed experientissimorum medicorum observationibus adjuvatur, ex quibus *Riverium* allegat, qui theriacae in Tertianis rebellibus, venaesectione ac purgantibus, ubi opus erat, praemissis, ʒj p. d. mane per triduum optimo cum effectu propinavit, *Berryat* [2]) a quo Laudanum in infuso centaurii minoris exhibitum fuit; *Hoffmann*, qui in febre soporosa Laudani guttas quadraginta quatuor sub frigoris initio ingessit, pulsu majore, respiratione liberiore ac par-

---

[1]) Diss. animadversiones quasdam de opii, praecipue in febribus, usu exhibens, in *Schlegel's* thes. mat. med. et art. pharm. Vol. I. No. VII.

[2]) Mémoires présentés à l'acad. roy. des sciences, Tom. II.

oxysmi febrilis suppressione insequentibus; *Lind*[1]), qui opium in his febribus tanti aestimabat, ut, dum infantibus opium ingerere non potuit, ingruente paroxysmo, tinct. thebaicam cum linimento saponaceo dorsi spinae illineret, adultis autem aquae fontanae sesquiunciam, aquae alexiteriae spirituosae ac syrupi e meconio $\overline{aa}$ ℨjj. cum Laudani gtt. xv — xx, semihora post ingressum calorem exhiberet; *Sydenham* pillulas cochiae majores, theriacam et aquam vitae, quarta jam ante paroxysmum hora ingessit, sero lactis cerevisiato, sudoris per aliquot post paroxysmum horas continuandi causa, simul adhibito, et sic f. int. profligavit. Ex quibus omnibus elucet, neque eos recte facere, qui permagnas inculcant opii doses (opii puri gr. IV — VI), quibus aegrotus in summum periculum vocatur, neque eos, qui minimas porrigunt opii doses, quae damnum quidem nullum efficiunt, neque magis autem prosunt, sed peculiarem semper, tum aegroti tum morbi, indolem esse intuendam. Cavendum praeterea est, ne, statu gastrico sic dicto aut inflammatorio vigente, opium temere adhibeatur, id quod non minus de cort. Peruviano valet. In iisdem, quibus opium medetur, f. int. alia narcotica salutaria se praestabant: rad. Belladonnae, qua *Horn*[2]), gr. jß ejus trihoriis singulis porrigens, f. quartanam pertinacissimam sanavit, cujus apyrexiae purae erant; herb. Aconiti, quam praecipue Quartanis salutiferam praedicant *Stoerk*[3]), *Schenkbecher*[4]). Flores Chamomillae vulgaris, qui, si medicaminis cujusdam in morbum quendam utilitas eo videtur comprobata, quod inde a veterrimis temporibus perpetuo in illum morbum laudabatur, ad probatissima febrifuga sunt referendi, nam Aegyptiis jam notam fuisse Chamomillae in febres

---

1) Versuche über die Krankheiten der Europäer im heifsen Klima, im Medical. Comment. of Edinb. Vol. VI.

2) Neues Archiv, Bd. 10, St. 2, S. 321.

3) De Stramonio, Hyoscyamo et Napello.

4) Von der Kinkina, Riga 1769.

sanandas vim, *Galenus*[1]) reliquit atque Aegyptiorum dosin fuisse florum drachmam integram *de Haen*[2]) annotavit. Atque ille ipse *Galenus* nec non *Dioscorides* in febribus cum rigore, ut ipsorum utar verbis, per circuitus redeuntibus, inter remedia Chamomillae etiam mentionem faciunt. Recentiorum non minus temporum medici Chamomillae floribus f. int. frequenter sanabant; *Morton*[3]) dedit florum drachmam integram vel per se vel cum sale absinthii, nonnunquam cum antimonio diaphoretico; *Ettmüller* flores *catholicum febrifugum* vocat; *Schulze* florum flavedinem certum remedium antifebrile nuncupat; idem[4]) narrat, se amicum quendam per triginta sex menses aegrotum, qui frustra jamjam varia accepisset remedia, solo usu florum chamomillae et unica quidem dosi a febre liberasse; *Pitcarn* dixit, medicos fore felices, si in omnibus morbis tam certa et efficacia haberent medicamenta, quam Chamomillam et cort. Peruvianum in f. intermittentibus; *Mead*[5]) Chamomillam in f. int. efficacem invenit, cum corticem frustra dedisset; *Sennert* in Tertiana decoctum chamomillae cum cremore tartari ante paroxysmum adhibuit; *Favart* flores ad scrupulum vel drachmam integram in Tertiana rebelli, quae cortici nolebat cedere, utilem observavit; dedit autem aliquoties eandem dosin per diem; *Boerhave* commendat infusum, itemque aquam et monet, decoctum a nonnullis magis laudari, quam cort. Peruvianum et alias dicit, succi ℥j — jj aeque esse antipyreticum, ac cort. Peruvianum; *Voigtel* (l. c. Bd. 3, S. 432.) florum extractum vel cum infuso vel cum oleo aethereo felicissimo cum eventu se adhibuisse profitetur. Quibus haec non sufficiunt, ii inspiciant: *J. D. Carl*, Diss. de viribus Chamomillae (in *Schlegel*'s thes.

---

[1]) De medicam. simpl. facultat. lib. III, cap. X.

[2]) Ratio medendi, pars XI, p. 60.

[3]) Exercitationum lib. de f. int. cap. 4, p. 64.

[4]) *Schulze*, Diss. de f. int. curat. antiquis. §. 4, p. 10.

[5]) Medicinische Erinnerungen und Lehren, aus dem Engl. Frankf. 1759.

mat. med. et art. pharm. Vol. II, No. XX.) Parmelia parietina (*Sander*, über die Wandflechte), a qua Chinam odore peculiari, imo vi febrifuga dotari, scriptores quidam observasse sibi videntur. Sulphur stibiatum aurantiacum, quod *Theden* (neue Bemerkungen), *Selle* (Beiträge zur Natur- und Arzneiwissenschaft) laudant et haec praecipue compositio commendatur [1]: Rec. Sulph. stib. aur. gr. j, opii puriss. gr. quadr. cort. peruv., flor. chamom. āā ℈ß. M. f. ℞., disp. tal. dos. No. VIII. D. S. in apyrexia consumatur. Arsenicum album, quod jam saeculo decimo septimo pro febrifugo efficacissimo aestimabatur et *Slevogt* [2]) ab offensionibus illud remedium defendit; postea quidem plane fere rejectum est, sed recentiore tempore *Heim* [3]) et *Marcus* [4]) ejus usum instanter commendabant neque celerrime solum illud efficere ajunt, sed malum fere nunquam redire. Arsenici usus historiam optime tradunt: *Trnka* [5]) et *Harlefs* [6]). Ne praetereamus alia febrifuga, quibus f. int. haud paucas fugatas esse accepimus: omnia amara, quae *Richter*, ut hac ratione propinentur, suadet: Rec. Kali carb. purissimi ʒß, Ext. Absinth. ʒjj, Inf. Absinth. ℥jv, M. D. S. Alle zwei Stunden einen starken Efslöffel voll. Ut universum corpus pannis laneis, vini spiritu imbutis, per horam integram ante paroxysmi ingressum fricetur, suadebant *Burserius*, *Assault*, *Strack*, cum paroxysmum, talibus frictionibus institutis, non ingressum esse, saepe observassent. Vesicatoria, bihorio ante paroxysmum ventriculi regioni applicita, *Hufeland* laudat. Alia tamen, quae ex miraculorum potius et portentorum cap-

---

[1]) *Hufeland's* Journ., 1806, St. 4, S. 124.

[2]) Prolusio de exceptionibus sive permissione prohibitorum et de prohibitione permissorum, Jen. 1700; Programma de arsenico, cui modesta ejus excusatio praemittitur, Jen. 1719.

[3]) Der Arsenik als Fiebermittel, Berlin 1811.

[4]) Ephemeriden der Heilkunde, Bd. 1, St. 3, S. 64.

[5]) Hist. feb. int. Vol. I, pag. 397.

[6]) Abhandl. der physikal. med. Societät zu Erlangen, Bd. 1, No. 9, S. 176.

tatione, quam ex accuratis observationibus laudabantur, e. g. electricitatem, magnetismum, textum araneum, omittere liceat, ne materiei nostrae amore ad absurdum ducti videamur.

Compositionem artificialem commemoraverim, quam *Hufeland* in pharmacopoea pauperum proponit: R. Cort. hippocast. cort. salicis, rad. Gentianae, rad. calami, rad. caryophyll. pares partes, M. f. ♁ alcoholisatus, in vitro obturato serva.

CINAE SEMINA.

Semina Cinae s. Santonici, quae redeunt aut ab Artemisia Contra aut ab Art. judaica aut ab Art. Santonicum, quae in Arabia, Judaea et Africa septentrionali habitant, frequentissime vermifugi munere funguntur.

Surrogata. In universum omnes Artemisiae species in eundem usum adhiberi possunt (*Richard*, l. c. S. 613.). Nostra igitur Art. Abrotanum, summitates et semina Tanaceti in usum vocentur. Praeterea Allii sativi bulborum vires vermifugae vulgo notae sunt, unde multifariam adhibentur; herb. Sisymbrii amphibii aquatici in decocto *Coste* et *Willemet* [1]) laudant.

COLOCYNTHIDES.

Poma Colocynthidis praebet Cucumis Colocynthis, Asiae et Graeciae insulis indigena. Iis morbis usui sunt, in quibus aucta alvi et urinae excretio efficienda est; hydropi passivo igitur, herniis incarceratis chronicis, quae ex faecum accumulatione evaserunt; praeterea nervorum plexus abdominales incitant ideoque derivationem a cerebro ejusque nervis instituunt.

Surrogata. Illud a *Linnaeo* dictum: „Plantae, quae ordine naturali continentur, etiam virtute propius accedunt". Cucurbitacearum ordine praeclare probatur. *Pfaff* [2]) enim primus intellexit, colocyn-

---

[1]) Samml. f. pr. Aerzte. Bd. 4, S. 318 u. 489.

[2]) System der Mat. med. Bd. 3, S. 170.

thidum efficaciam in principio amaro positam esse, quod et in ipsa rad. Bryoniae inesset. Cur igitur veteriores medicos non sequamur, qui illam radicem tam saepe in iisdem morbis, in quibus colocynthides praedicantur, salutarem inveniebant? *Hufeland* non solum pomis colocynthidis, sed etiam rad. *Bryoniae* vim diureticam attribuit. Neque magis colocynthidibus tum effectu tum laudibus cedit: rad. Cucumeris asinini a Momordica Elaterio, quae eodem illo principio amaro instructa est, unde *Avicenna* et *Fallopius* eam, in pulveris formam redactam, *Dioscorides* succum ejus recens expressum in morbos hydropicos adhibebant; recentiores vero medici: *Sydenham*, *Duncan*, *Ferriar* [1]), *Kinglake* [2]), *Brande* [3]) Elaterium, s. extr. Elaterii, ex fructibus maturis paratum, in usum vocabant et maxime videtur laudandum *Chisholmii* [4]) praescriptum: R. Extr. Elaterii gr. jjj, spir. nitri dulcis ℥jj, tinct. Scillae, tinct. Colchici, syr. Rhamni cathartici āā ℥ß, senis horis drachma porrigenda. Alia surrogata sunt drastica illa, quae rad. Jalappae substituemus, quibus adjungenda sunt: rad. hellebori nigri et albi, cort. Sambuci interior [5]) cort. interior rad. Ebuli (Sambucus Ebulus), herb. virgae aureae [6]) (Solidago virga aurea), folia Alypi (Globularia Alypum), quibus medici Europae meridionalis, ubi habitat, in hydropes et organorum uropoeticorum atoniam utuntur [7]), herb. Gratiolae [8]).

---

[1]) Med. histories and reflexions Lond. 1813. Vol. VI.

[2]) Salzb. med. chir. Zeitung, 1825, Bd. 4.

[3]) Mat. med. S. 483.

[4]) The Lond. med. repos. März 1824.

[5]) *Tiedemann,* Disp. hist. Sambuci vulgaris exhibens, Groning. 1783.

[6]) *Lischwitz,* Dissert. de virgis aureis, p. 79.

[7]) *Ramel,* im Journ. de med. Vol. 72, p. 379. *Loiseleur-Deslongchamps* im Bulletin de Pharm. 1809, p. 559.

[8]) *Kinglake* im Lond. med. et phys. Journ. Juny 1824. Salzb. med. u. chir. Zeitung, 1824. Bd. 4 u. Beilage zu No. 83. S. 79.

COLUMBO.

Radix Columbo a Menispermo palmato Lamark, s. Cocculo palmato Decandolle, in Africa meridionali habitante. Amylo, quod continet et principio amaro primarum viarum irritabilitatem minuit, acrimonias involvit, tonum auget, unde dysenteriae, diarrhoeis chronicis, imo, purgantibus praemissis, cholerae salutaris est, Pariter efficit cort. Simarubae a Simaruba amara Aubl. vel S. Guyanensi vel Quassia Simaruba, in Guyana et Jamaica habitante.

Surrogata. Rad. Tormentillae, quam *Quarin* in dysenteriae epidemia, anno 1762 saeviente, cum opio, conserva rosarum et camphora conjunctam maxima cum utilitate adhibebat; baccae Myrtillorum (Vaccinium Myrtillus), quarum aut syrupus aut infusum theiforme diarrhoeas sistit, quae ab intestinorum laxitate ortae erant; folia Lysimachiae purpureae, quorum pulveris cum gummi arabico compositi ʒß — jß *Misley*, *de Haen*, *Stoerk* dysenteriae succurrere observabant et *Quarin* ea plerisque remediis antidysentericis praefert[1]); rad. Inulae dysentericae, quam *Gleditsch* eximie laudat; herb. Dryadis octopetalae, s. Chamaedreos alpinae, qua Alpium incolae ad diarrhoeas sistendas utuntur; boletus suaveolens[2]); herb. Gnaphalii (Gnaphalium dioicum) a veterioribus medicis, quia ad diarrhoeas sistendas adhibebatur, herba antidysenterica nominabatur et novissimis temporibus *Wiedeburg* (Archiv der pr. Heilk. f. Schlesien und Südpreussen. Bd. 1. St. 3. S. 312.) infantibus praecipue, diarrhoea laborantibus, eam prodesse praedicavit. Ad haec accedunt omnia Farinacea et Mucilaginosa, quibus nostrae regiones scatent. Praeterea opium et alia narcotica, cum justa ratione sunt adhibita, dysenteriam sanant. De ceteris remediis antidysentericis indigenis v. rad. Ipecacuanhae.

---

[1]) *Gesenius* l. c. S. 223.

[2]) *Enslin*, Diss. de boleto suaveolente in *Schlegel*, thes. mat. med. et art. pharm. Vol. II. *Hufelands* Journ. Bd. 2. St. 3. S. 1.

JALAPPA.

Radix et resina Jalappae a Convolvulo Jalappa, s. Ipomoea Jalappa, s. Ipomoea macrorrhiza *Michaut*, quae in terra Mexicana, circa urbem Yalappam frequentissime habitat, sed America septentrionali tenus pergit; *resina Scammonii* (prius *Diagrydium*) a Convolvulo Scammonia, pluribus orientis regionibus indigena, quare tres hujus resinae species distinguendae sunt: Halepensis, quae optima est, Smyrnacea, Antiochiensis, quas a Periploca Scammone, ex Apocinearum gente, redire *Richard* et pharmacopoeae Gallicae auctores docent, quamquam alii scriptores ab aliis Apocineis eas deductas volunt. Ut alvi excretiones augeantur, illa medicamina adhibentur, sed constitutio phlogistica aut nervosa eorum usum ita vetat, sicuti constitutio lymphatica, spongiosa eum requirit.

Surrogata. Plures Convolvuli, nostris regionibus indigenae, eandem illam resinam continent, cui istae Convolvuli alienigenae efficaciam debent, unde iis substitui possunt C. Sepium, quam *Haller* jam Scammonio substitui volebat (dosis: gr. xx — xxx), C. arvensis, C. althaeoides, C. Soldanella, cujus herba (herb. Brassicae marinae) Anglicis medicis tanquam purgans et diuretiicum remedium in usu est. Praeterea multa drastica apud nos habitant, quae immerito ab exoticis ex usu ejiciebantur: herb. Lini cathartici; baccae Rhamni cathartici, s. de spina cervina, quae vel ipsae crudae No. XV — L. vel eorum decoctum vel succus expressus adhibeatur; herb. Gratiolae; Scammonium Monspeliacum, succus inspissatus Cynanchi Monspeliaci, quod in meridionalibus Europae regionibus frequens est; rad. Thalictri flavi, cujus ℥jj, aqua fervida infusa, *Boerhave* aliique medici veteriores adhibebant; flores Acaciae (Prunus spinosa), quorum effectus purgans vulgum non latet; grana Gnidia, s. fructus Daphnes Mezerei vel D. Gnidii; fructus Carthami tinctorii, qui propter virtutes suas compositionibus illis purgantibus: Extr. Diacarthami Andernasi, Diacarthamo de Villanova, addebantur; rad. Iridis nostratis, s. Germanicae, cujus succum

expressum, ℥jv assumtum, *Werlhoff* saepe utilem reperiebat; rad. Thapiae Garganicae, quae propter vires purgantes prius Turpethum spurium vocabatur; herb. Coronillae Emeri; cort. Rhamni Frangulae, s. Alni nigrae lanciferae (dosis: ʒj—℥ß in infuso).

IPECACUANHA.

Radix Ipecacuanhae grisea, s. fusca, s. tortilis *Richard*, quam praebet Cephaelis Ipecacuanha L., Americae meridionali, praecipue Brasiliae indigena; quae enim ab aliis plantis redeunt radices, e. g. nigra a Psychotria emetica L., alba a *Richardia* scabra L., aut rarissime nobis advehuntur aut minus sunt efficaces. Hujus radicis efficacia duplex est, nam exiguae ejus doses antispasmodicam vim habent et haemorrhagias, diarrhoeas, alias nimias excretiones sistunt, quo fiebat, ut prima ejus virtus antidysenterica laudaretur; majores autem ejus doses vomitum excitant, sed superiorem potius, quam inferiorem tubi intestinalis partem afficiunt, unde inprimis adhibendae sunt, ubi diarrhoea timenda est. Quam efficaciam illa radix debet substantiae cuidam, spiritus vini auxilio extrahendae (Emetinum), de qua copiose agunt: *Buchholz* [1]), *Gmelin* [2]), *Pfaff* [3]) *Richard* [4]).

Surrogata. *Coste* et *Willemet*, cum rad. Ipecacuanhae a violarum specie quadam redire constaret, violarum in patria habitantium radices perscrutati, rad. violae odoratae et v. caninae eadem, qua rad. Ipecacuanhae, vi vomitoria, praeditas esse invenerunt, nam pulveris ʒß vel infusum ℥jv. ex ʒjj paratum, vomitum excitare docent [5]), id quod *Hennin-*

---

[1]) Taschenbuch für Scheidekünstler. 1818. S. 69.

[2]) Chemie. Bd. 2, S. 1591.

[3]) System der Mat. med. VI, S. 333.

[4]) l. c. S. 720.

[5]) *Coste* et *Willemet*, Essais botaniques, chimiques et pharmaceutiques, sur quelques plantes indigénes, substituées avec succés à des vegetaux exotiques. Nancy 1776. — Samml. f. pr. Aerzte. Bd. 4. S. 318 u. 489.

ger[1]) jam antea invenerat et *Gesenius* (l. c. S. 57) postea comprobavit; rad. Asari Europaei, ab iisdem *Coste* et *Willemet* rad. Ipecacuanhae substituenda proponebatur, postquam veterioribus jam medicis usitatissimum fuerat emeticum; ut ejus pulveris ℈ij propinentur suadent; infusum efficere negant; cum iis *Goerz*[2]) et *Pfaff* (l. c. III. S. 229.) consentiunt, qui ex partibus constituentibus illam vim vomitoriam probant; praeterea monendum est, ut nonnisi aut primo vere aut ultimo auctumno colligatur; rad. Euphorbiae silvaticae et E. Cyparissiae, a *Deslongchamps*[3]) rad. Ipecacuanhae loco optimo cum successu adhibebantur; (dosis gr. xv — xx, rarissime major); rad. Leucoii bulbosi, s. verni[4]); flores Narcissi silvestris, s. Pseudonarcissi, quos *Armes* et *Watercamps*, nec non *Lejeune*[5]) rad. Ipecacuanhae substituebant, quia eorum pulveris gr. j cum syrupi ʒj, aquae ℥x additis, vomitum efficere observabant; cort. Robiniae Pseudacaciae; rad. Iridis Germanicae siccata, cujus efficaciam *Spielmann* testatur; herb. Staticae Armeriae; Paris quadrifolia, quam *Linnaeus* jam rad. Ipecacuanhae substitui volebat, cujus effectum, tum vomitorium, tum diarrhoeas sistentem, *Coste* et *Willemet* testantur, qui radicis ejus ℈ij ad vomitum efficiendum exhibebant; Tart. stibiatus et pleraque alia ex antimonio praeparata, quae quidem alvi excretiones augent, nisi cum illis rad. Ipecacuanhae surrogatis conjuncta sint, quae aeque ac illa vomitoriam ejus vim adjuvant, purgatoriam minuunt. Antispasmodica rad. Ipecacuanhae vis, narcoticis ceterisque antispasmodicis nostratibus justis dosibus adhibitis, haud desiderabitur; haemorhagiae aliaeque nimiae

---

1) Diss. de viola purpurea.

2) Schriften d. Berlin. Gesellschaft naturforschender Freunde. V. 1784.

3) Bulletin des sciences. Tome 35.

4) *Richter*, ausführlrche Arzneimittellehre. Bd. 2, S. 488.

5) Annales gen. des sciences phys. September 1820. S. 331. Samml. f. pr. Aerzte. Bd. 30, St. 1, S, 98

excretiones ab illis substantiis indigenis sistuntur, quibus principium aut adstringens aut farinaceum inest (v. cort. Chinae et rad. Columbo).

S E N N A.

Folia Sennae Alexandrinae a Cassia lanceolata Nectoux, Aegypti et Nubiae planta et a Cassia Senna Lamark s. obovata Collad. in Aegypto silvatica, in Italia et Hispania rarissime culta. In usum vocantur nonnisi propter purgantem eorum vim, quam principio cuidam debent, quod *Lassaigne* et *Feneulle* invenerunt et Catharinium vocaverunt.

Surrogata. Rarissime sincera nobis advehuntur Sennae folia, sed fere semper substantiis indigenis pariter efficientibus adulterata, unde, ne defraudemur, exotica folia prorsus rejicere satius duco et folia Coluteae arborescentis adhibere, quae propter similem effectum jam a *Boerhave* Senna Germanica vocabantur et a *Coste* et *Willemet* verae Sennae substituenda proponebantur (dosis: ℥j in infuso ℥vj). Iidem *Coste* et *Willemet* folia Amygdali Persicae et folia Fraxini excelsioris optimo cum successu Sennae foliis substituebant. Ceterum vide de drasticis purgantibus indigenis ea, quae ad rad. Jalappae dicta sunt.

VITAE CURRICULUM.

Ego Aron David, Landsbergae ad Wartham, oppido Neomarchico, die X mens. Martii a. MDCCCV, patre Michael David et matre Eva, e gente Davidiana natus et fidei veteris testamenti addictus sum. Fratre meo dilectissimo, qui nunc temporis Berolini puerorum erudiendorum munere fungitur, praeceptore usus, in tertiam gymnasii, quod Regiomontii Neomarchici floret, classem receptus sum. Ab hoc instituto cum maturitatis testimonio primae notae dimissus, Berolinum me contuli ibique die XXVI mens. Octob. a. MDCCCXXV ab illustr. Boeckh, t. t. rectore magnifico in civium academicorum numerum receptus et ab Illustr. Link t. t. facultatis medicae decano, medicinae studiosis adscriptus sum. Inde ab illo tempore his interfui lectionibus:

Illustr. Hegel de logice et metaphysice; Illustr. Bernhardy de Horatii odis; Illustr. Erman de physice generali; Illustr. Mitscherlich de chemia experimentali; Illustr. Lichtenstein de zoologia; Illustr. Knape de osteologia, splanchnologia et syndesmologia; Illustr. Rudolphi de encyclopaedia et methodologia medica, de anatomia corporis humani, de anatomia comparativa et pathologica, de anatomia organorum sensuum et foetus humani, de entozois, nec non de physiologia. In cadaveribus rite dissecandis Illustr. Knape et Illustr. Rudolphi duces mihi fuerunt. Illustr. Link de botanice, de pharmacologia, de historia naturali, de cryptophytis et de toxicologia; Illustr. Hecker de pathologia generali, de therapia generali et speciali et de semiotice; Illustr. Horn de pathologia et therapia speciali nec

non de mentis morbis et de morbis syphiliticis; Illustr. CASPER de formulis medicis rite concinnandis; Illustr. JUENGKEN de chirurgia et aciurgia; Illustr. KLUGE de arte obstetricia, de fracturis et luxationibus disserentes audivi. Ad praxin medicam, chirurgicam et obstetriciam Illustr. C. W. HUFELAND cum Illustr. OSANN et Illustr. BUSSE, Illustr. RUST, Illustr. DE SIEBOLD, Illustr. WOLFF me instituerunt.

Jam tentaminibus, tam philosophico, quam medico et examine rigoroso coram gratioso Medicorum Ordine sustentatis, spero fore, ut, dissertatione et thesibus rite defensis, summi in Medicina et Chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

HALLERO *non assentiendum est, qui:* „Ins Innere der Natur, *ait,* dringt kein erschaffener Geist."

II.

Puerorum educatorem physiologiae non minus ac veterum linguarum peritum esse necesse judico.

III.

Omnes morborum divisiones systematicas non solum nihil prodesse, sed potius obesse arbitror.

IV.

Nullus morbus certos habet prodromos.

V.

Consensus et antagonismus nonnisi nervis efficiuntur.

VI.

Crusta lactea et serpiginosa non ab abundantia, sed ab alienatione succorum oritur.